

cus Gomez in Procemio ad Regul. Cancellar. quæst. 2, ad 1, cum Platea, quem refert in leg. *Neque*, C. de Decur. lib. 10. Idem tenent communiter Canonistæ cap. *In causis*, de Re judicata, et Felin. in rubrica de Rescriptio- ne, n. 1, qui refert alios. Et probatur primo ex lege ultima, Cod. de Legibus, ubi expresse dicitur sententiam inter partes cum cognitione datam ab imperatore in una causa, constituere legem in omnibus similibus causis servandam. Idem significatur in leg. 1, ff. de Constitut. princip., ubi inter modos ferendi leges unus est: *Quando Imperator cognoscens decrevit*, ubi addit Glossa, *dando definitivam sententiam*: ratio reddi potest, quia sententia principis est veluti regula ad quam omnes inferiores iudices conformari tenentur; sed hæc est propria vis legis; ergo. Major insinuat et probatur ab imperatore in dicta lege ultima, his verbis: *Quid enim majus, quid sanctius imperiali est majestate? Vel quis tantæ superbiam fastidio tumidus est, ut regalem sensum contemnat?* Quasi dicat sententiam imperatoris tantam habere auctoritatem, ut subditos obliget ne in simili causa ab illa discrepent, et quoad hoc virtuale præceptum obtinere et ita habere vim legis. Potestque confirmari ex eadem lege, quia decretum imperatoris habet vim legis, sed sententia ab ipso lata continet decretum ejus; ergo.

12. Contra hanc vero sententiam objici potest l. 2, C. de Legibus, ubi Theodos. imperator ait: *Quæ ex relationibus vel suggestionibus judicantium procerum, introducto negotio statutimus, etc., generalia jura non sint*, unde conficitur argumentum: nam illud quod princeps communi consilio judicantium seu procerum statuit, vel est sententia, vel plus quam sententia, et tamen illa dicitur non habere vim generalis legis. Confirmatur, quia princeps ferendo sententiam in particulari causa non fungitur munere principis dicentis jus toti reipublicæ, sed potius munus privati iudicis in causa particulari, de qua potest iudicare secundum propriam opinionem; non ergo statim legem statuit: unde Covar. in 4, p. 1, cap. 7, § 4, n. 15, dicit, leg. ultim. Cod. de Legibus, intelligendam esse quando princeps, qui potestatem habet ferendi legem occasione alicujus controversiæ quæ inter privatos contingit, legem aliquam ejusque sensum explicat et interpretatur ea mente, ut interpretatio vim legis universalis habeat; non autem procedere decisionem illius legis si simpliciter rex jus dicens privatis aliquam ferat sententiam, ne-

que significans se illius interpretationem generalem facere, nec expresse legis verba interpretans, ut inde constet voluisse interpretationem illam legis vim obtinere; atque ita indicat Covar. illam legem ultimam intelligendam esse de sententiis per quas princeps expresse interpretatur aliquam legem utique suam, vel inferioris, cujus interpretatio ad ipsum pertineat, et ita esse limitandam communem sententiam. Aliam vero legem secundam procedere de aliis sententiis omnibus quæ talem interpretationem non continent, et ita conciliantur illæ leges, et solvitur confirmatio addita ex sententia hujus auctoris; quia quando princeps auctoritate sua legem interpretatur, non est locus privatæ opinioni, quia princeps certo scit suam intentionem et mentem, quam per talem sententiam declarat; et ideo illa interpretatio vim habet legis, seu e contrario lex ita declarata jam non obligat, neque habet vim, nisi juxta declarationem ab auctore datam, quia ejus est interpretari legem cujus est condere, ut in eadem l. ult. dicitur, et in l. *Leges sacratissimæ*, eod.; quando autem talis interpretatio expresse fit per sententiam aliquam ab eodem legislatore datam, etiamsi sit in causa particulari, necesse est ut generaliter declarat sensum legis, quia non potest lex in uno negotio unum sensum habere, et in alio omnino simili sensum alium, sed unius legis unus est legitimus sensus, et ille maxime est quem auctor ejus declarat.

13. Sed licet hæc expositio, quoad partem hanc affirmantem sententiam continentem interpretationem propriam legis habere vim legis, certissima sit, et in illa lege ultima contenta, nihilominus videtur nimia limitatio illius legis et communis opinionis, si ad hanc solam sententiam restringatur; quia auctores generalius loquuntur, et verba legis generalia sunt de sententia: nam de interpretatione legis postea agere incipit; unde in illa priori parte non fundatur in auctoritate interpretandi, sed absolute in auctoritate decernendi. Deinde requirit causæ cognitionem, et præsentiam partium, quæ solent esse necessariæ ad cognitionem facti, non ad juris interpretationem: nam hæc æque bene dari posset in absentia partium, et independentem a tali vel tali facto, quod postea per particularem iudicem potest examinari ad applicandam facto juris interpretationem. Accedit quod Glossa ibi potius intelligit, legem illam procedere in his causis quæ non sunt decisæ per leges: *Nam in aliis (inquit) legem servaremus scriptam.*

14. Unde eadem Glossa in dicta l. 2 intelligit legem ultimam procedere in omnibus sententiis quæ feruntur ab imperatore in quacunque causa, illa exacte cognita et examinata in præsentia utriusque partis, ut in eadem lege expresse cavetur, et consequenter in sententia lata solum in vi juris quod ex cognitione causæ resultat: nam tunc sententia conferens jus uni parti vim habet legis, sive declaret priorem legem (quod fortasse frequentius eveniet), sive constituat illam, si pro simili causa non erat constituta. At vero dictam leg. 2 intelligit eadem Glossa ibi de his statutis, seu concessionibus quas imperator facit per modum privilegii, vel in gratiam alicujus personæ propter peculiarem respectum, vel in tali tempore, aut loco, propter specialem occasionem: talia enim statuta non habent vim generalis legis, ut in eadem l. 2 consequenter declaratur, et habetur etiam in l. 1, ff. de Const. princ., et est consentaneum regulis juris 28 et 74 in 6, quod privatæ concessionem non trahuntur in consequentiam, ut in simili notavit Glossa distinct. 19, in princ., estque in re vera hæc sententia et satis conformis illi leg. 2.

15. Baldus vero ibi addit legem ultimam de legibus procedere in sententia definitiva, sive sit juris dispositiva, sive declarativa: non vero in interlocutoria, de qua loquitur lex secunda, ut ipse exponit, et expressius habetur in leg. 3, et hæc distinctione utuntur etiam communiter Canonistæ in cap. *In causis*, de Re jud. Sed ita eam limitant ut eam evertere videantur: nam fatemur, si interlocutoria sit in corpore juris inserta, habere vim legis: item si lata sit cum cognitione causæ, et in præsentia partium, habere etiam vim legis, etiamsi non sit inserta in corpore juris. At vero has conditiones requirunt etiam in sententia definitiva juxta dictam legem ultimam: non videtur ergo necessaria distinctio, maxime cum in l. 1, ff. de Constit. princ. dicatur etiam illud, *quod princeps de plano interlocutus est, legem esse*; si ergo cætera sint paria, non videtur esse differentia, quia, licet sententia sit interlocutoria respectu causæ principalis de qua tractatur, potest esse quasi definitiva quantum ad id quod princeps per illam proxime statuit, vel declarat, quia in eo continere potest ultimam (ut sic dicam) ejus resolutionem: si ergo de mente principis æque constat per utramque sententiam, eadem erit utriusque ratio. Differentia igitur solum esse potest quasi materialis, quia facilius et frequentius solet de hac mente principis constare per sen-

tentiam definitivam quam per interlocutoriam; atque hoc modo intellecta communis sententia verissima est.

16. *Præter dicta duo necessaria legi.* — Duo autem addenda occurrunt, unum est, necessarium semper esse ut ex verbis sententiæ constet, latam esse non solum ex arbitrio prudenti et opinativo (ut sic dicam), sicut ferri solet ab inferioribus iudicibus, sed etiam ex potestate et voluntate dicendi et stabiliendi certum jus; nam alioqui privata sententia non sufficet, ut confirmatio supra facta recte probat, in quo etiam bene sentit Covar. Hoc autem, ut dixi, frequentius contingit quando princeps fert sententiam, interpretando aliquam legem propriam, vel æqualis, aut inferioris; quando vero non interpretatur, sed condit novum jus, tunc necesse est ut hoc expressius significetur in sententia, quia sententia de se non est constitutiva juris, sed declarativa, quia de se cadit in factum præteritum, vel jus acquisitum, seu præexistens inter partes litigantes: iudicium autem cadens in præteritum ordinarie est declarativum potius quam constitutivum juris, nisi aliud explicetur: unde sæpe etiam contingere potest ut princeps per talem sententiam non interpretetur jus humanum, sed naturale: et tunc magis dubium erit an talis sententia legem constituat, quia princeps non habet majorem potestatem interpretandi jus naturale quam ratio ejus probaverit; quia in hoc magnum est discrimen inter interpretationem legis naturalis et civilis: nam interpretatio legis civilis procedit non solum ex scientia, sed etiam ex potestate et voluntate, quæ facit esse certam interpretationem, etiamsi minus consentanea sit prioribus verbis, vel tantam mutationem facere ut jus antiquum mutare videatur. Non est autem ita in interpretatione juris naturalis: procedit enim solum ex vi rationis, quæ interdum non est evidens, sed tantum probabilis, et ideo non tam facile datur cum obligatione et præcepto sequendi illam, et ideo oportet ut in modo ferendi sententiam clarius de hoc præcepto et obligatione constet; et tunc, si sententia principis apertum errorem contra justitiam vel rationem naturalem non contineat, illi standum est quando per modum regulæ, et animo obligandi latam fuisse constiterit.

17. Alterum addendum erat, necessarium esse ut talis sententia sufficienter proponatur, seu publicetur tanquam communis regula decidendi similes causas, quia (ut diximus) hoc pertinet ad complementum legis. Magis autem

spectat ad promulgationem legis, de qua statim dicemus, quam ad editionem seu constitutionem ejus, de qua nunc tractamus: unus autem modus magis usitatus constituendi talem sententiam in statu legis esse solet quando inseritur in corpore juris, ut sumitur ex l. 1, C. de Novo codice faciendi, § penult, in fine, et in jure canonico est id maxime usitatum, ut infra videbimus. Non videtur autem hic modus publicationis adeo necessarius, ut nullus alius possit sufficere, quia nullo jure id cavetur, nec ex natura rei sequitur. Poterit ergo alio modo sententia taliter per publica rescripta, vel per publicam famam evulgari, ita ut in ratione legis constituatur, in quo cum proportione servandum erit, quod infra de promulgatione legis dicemus.

18. *Dubiofum.* — Quæri autem solet an hoc intelligendum sit de sententia solius imperatoris, vel etiam aliorum inferiorum: nam Glossa l. 1, ff. de Feriis, verb. *Derogare*, significat sententiam inferiorum magistratum non facere legem, et loquitur in particulari de prætore, ubi id notat Jason n. 23, cum Angelo, et multis aliis qui limitationem extendunt ad reges et alios inferiores principes, etiam habentes potestatem condendi leges; et hoc etiam secutus est Felin. in dicta rub. de Rescription. Contrarium autem docuit idem Angel. in l. *Item veniunt*, § *cæterum*, ff. de Petit. hæredit. quem Jason supra, et in dicta leg. 1 de Constit. princ. n. 6, posteriori loco refert, et non improbat. Felin. vero prius reprobatur, postea ex parte illius sententiam admittit, scilicet, quando sententia inferioris potentis condere leges in territorio suo inserta est inter constitutiones ejus. Sed hoc pertinet ad modum promulgationis, et supponit potestatem ferendi legem per sententiam; hoc autem posito, non est cur modus promulgationis limitetur ad illum modum magis in his inferioribus quam in imperatore, servata proportione.

19. Quocirca distinctione utendum esse censeo, qua posita facile intelligetur in quo sensu locum habere possit prior sententia, et quomodo Angelus non docuerit contraria. Primo ergo, si magistratus inferior qui sententiam profert non habeat potestatem condendi leges, clarum est multo minus posse legem ferre, ferendo sententiam; tum quia semper est defectus potestatis, tum etiam quia modus ferendi legem per sententiam nihil habet speciale, sed potius pertinet ad extensionem quamdam potestatis.

20. *Subdistinctio de condente legem.* — Dein-

de, si is qui tulit sententiam potestatem habeat condendi legem, subdistinguendum est, quia vel est supremus princeps non recognoscens superiorem in temporalibus, ac talis ut non obligetur jure communi civili seu imperialibus legibus; et in illo procedit doctrina non minus quam in imperatore, sive ille sit rex, ut Hispaniæ, Galliæ, etc., sive dux supremus, sive respublica, ut Veneta, de qua videtur loqui Angel. in posteriori loco supra allegato: ratio autem est, quia doctrina data non fundatur in speciali dignitate imperatoris aut regis, sed in jurisdictione legislativa suprema: nam ad omnem principem vel legislatorem habentem talem jurisdictionem æque spectat interpretari suam legem ac condere, et potest per sententiam illam interpretari, sicut potest imperator; vel ferendo sententiam potest per illam legem condere, si velit, et id declaret: quis enim, aut quid prohibet?

21. Denique talis esse potest princeps qui fert sententiam, ut, licet possit legem ferre, superiorem nihilominus habeat, cujus commune jus servare tenetur, et solum ex concessione ejus possit aliquas leges condere, non contrarias juri communi; et de hujusmodi sententia iterum distinguendum est: nam si illa contineat interpretationem juris communis supremi principis, non poterit inducere legem, etiam pro particulari territorio inferioris principis: quia non spectat ad illum interpretari legem superioris, etiam pro sua provincia: tum quia esset in præjudicium superioris, tum etiam quia lex unica est pro toto regno superioris, ideoque unum universalem debet habere sensum, quem non potest dare inferior cum auctoritate: alias possent plures ex similibus inferioribus variis et contrariis modis interpretari legem pro suis provinciis: unde constat multo minus posse talem sententiam, si sit contra jus superioris, habere vim legis privatæ, seu municipalis: tum quia non est concessum illi inferiori legislatori contra jus commune regni præcipere, ut supra ostensum est: tum etiam quia nec talis sententia justa esset, utpote juri contraria; et in hoc sensu videntur loqui auctores ponentes discrimen inter supremum vel inferiorem; quod etiam significavit Gregor. Lopez in l. 9, tit. 18, part. 3, n. 9 ubi ait quod, licet in supremo senatu fuerit judicatum contra jus commune regni, non est curandum, quia magistratus non potest inducere stylum in derogationem juris communis, et sumitur ex l. *Nemo*, C. de Sentent. et interlocut. omnium judicium. At vero,

CAPUT XVI.

QUÆ PROMULGATIO NECESSARIA SIT AD PERFECTAM CONSTITUTIONEM LEGIS CIVILIS.

si talis sententia esset juri communi regni conformis, et aliquid adderet ad juvandum vel magis confirmandum illud jus, quoad id posset legem particularem inducere, quia in hoc potest inferior legem ferre circa eandem materiam cum lege superioris, ut supra cum communi sententia dictum est; et eadem ratione, si sententia talis principis inferioris versetur in materia circa quam nulla est lex superioris, in ea locum habebit doctrina data, nec oportet distinctionem facere inter hunc inferiorem et supremum, quia in hujusmodi sententia se gerit ut supremus, et quia potest uti sua potestate legislativa in tali materia, et per sententiam potest satis explicare se velle illa uti, et stylum seu regulam inducere.

22. *An idem dicendum de rescripto seu epistola principis ac de sententia.* — Tandem dubitari hic potest an quod dictum est de sententia locum habeat in rescripto, seu epistola principis, quod nimirum vim habeat legis, quod maxime locum habet quando per tale responsum interpretatur aliquam legem, vel suam, vel naturalem, idemque erit si rescribat, statuendo quid servandum sit in aliquo negotio vel dubio. In hoc enim Bart. in l. 2, C. de Legibus, negat rescriptum principis constituere generalem legem, et in hoc differentiam quamdam constituit inter epistolas pontificias et regales; sed de pontificiis postea suo loco dicemus. Sequitur Decius in rubr. de Rescrip. in princ., et Paul. de Castro in l. 1, ff. de Constitut. princ. Fundantur in dicta l. 2, C. de Legibus ibi, *vel consultatione*. Verius tamen est idem esse dicendum de Epistola vel rescripto interpretante dubium, quod de sententia; quod docent Jason, Angel., Felin. et alii supra citati, et videri potest Burgos de Paz in Procem. ad leges Taur. n. 450, et sumitur ex dicta lege ult. C. de Legibus in secunda parte ejus, et est expressum in dicta l. 1, ff. de Const. princ. ibi: *Quodcumque imperator per epistolam et subscriptionem statuit, vel edicto præcipit, legem esse constat*. Hoc autem intelligendum et declarandum est modo dicto de sententia: nam est eadem ratio de quodlibet responso principis, quod directe dicitur aliquod dubium, constituens illud responsum tanquam regulam operandi: oportet autem ut non sit concessum in peculiarem favorem, vel privilegium alienius personæ, vel ob particularem circumstantiam occurrentem, et ita eodem modo conciliantur jura civilia, ut dictum est.

1. *An sine scriptura, et publicatione valeat lex et liget statim.* — Superest dicendum de tertia solemnitate legis, quam subsequentem appellavimus, comparatione facta ad voluntatem principis, et exterius scriptam vel declaratam aliquo signo sensibili exterius indicante illam, et circa quam suppono in primis, non esse satis privatam principis locutionem, seu expressionem, ut lex jam lata censeatur, donec voluntas et jussio principis solemniter edita et subditis proposita sit: hoc enim et utroque jure humano est constitutum, ut supra lib. 1, cap. 11, ostensum est, et ipsa legis natura postulat: tum quia est regula operationis ad quam tota communitas se debet conformare: non potest autem habere talem rationem communis regulæ, nisi publice sit edita, ita ut a tota communitate observari possit; tum etiam quia lex est signum voluntatis principis qua vult totam communitatem movere et obligare: ergo oportet ut tale signum publicum sit; unde fit conditionem hanc ita esse necessariam et intrinsecam legi humanæ, ut non possit princeps, etiamsi velit, legem condere sine aliqua publicatione communitati accommodata, et de se sufficiente, quamvis modum ejus variare possit; quia illud prius generatim et absolute sumptum est jure naturali necessarium, ut ostensum est. Estque communis sententia omnium quos referemus. Solum inveni apud Selvam, de Benef., q. 22, n. 14, quod sine scriptura, *sine publicatione valet lex, et ligat statim, si conditor velit*, et citat Glossam in Clement. de Hæreticis. At vero illa Glossa in verb. *Et tunc* non dicit sine publicatione, sed statim a promulgatione, quod longe diversum est, ut infra declarabo: neque aliter loquuntur doctores in rubr. de Constit. quos etiam Selva refert: unde etiam ille forte in eodem sensu locutus est, per publicationem intelligens illam quæ longo tempore vel certa solemnitate fit: hæc enim potest per principem immutari, ut dicemus. Explicandum vero est, quæ et qualis debeat esse hæc solemnitas, seu publica propositio, quæ solet communiter promulgatio vocari.

2. *Particulam aut positam esse pro seu.* — In quo Panormit. in cap. 1 de Postulat. Prælat., n. 10, distinguit inter solemnem editio-